

Chartes et documents de Saint-Bénigne de Dijon. Prieurés et dépendances des origines à 1300. Tome premier., 89

Anno incarnationis Dominice DCCCLXXI, indictione IIII, anno quoque regni domni et gloriosissimi Karoli XXXI, cum coepissem ego Isaac, indignus episcopus ecclesie Lingonensis mihi commisse, negocia cum fidelibus nostris tractare, quatinus cum Dei gracia stabilirentur atque augmentarentur, necnon et loca Sanctorum a nostris antecessoribus constituta et facultatibus valencia, canonicali censura regerentur, disponerentur atque gubernarentur, seu ubi quondam fundata fuerant, sed varietate temporum et mutacione secularium seniorum diruta vel destructa penitus, quomodo Deo suffragante reedificarentur atque in melius construerentur, deveni ad locum qui Sanctus Benignus dicitur, jamdudum destructum, in suburbio Divionensis castri consistentem, ubi idem pretiosus martyr sanctus Benignus corpore requiescit; de quo memoratus et domnus rex crebro mediocritatem meam, ut restauraretur, convenerat; et cum consilio eorumdem predictorum nostrorum fidelium deliberavimus ut de eo jamdictum dominum et seniore nostrum supplicare debuissimus, quatinus clementie sue gracia opem qua relevari potuisset dignaretur prestare, et ibi, sicut hactenus sub monastica professione servos Dei vivere cupientes, regali liberalitate constituere, qui pro statu regni sui et stabilitate atque sublimitate sua indesinenter studuissent Dominum exorare. Denique domnum et excellentissimum regem pro hujusmodi negocio adiens, cum fidelibus nostris tractata ac deliberata humiliter innotui, pecii et impetravi, ea scilicet condicione ut semper monachos inibi conducerem et, sicut dictum est, Domino facerem deservire. Congregavi igitur ibi, annuente supradicto glorioso principe, monachos sub chorepiscopo abbate, nomine Bertilone, qui ibi regulariter degerent et Deo in perpetuum deservirent. Concedimus enim eis imprimis habere propriam electionem succiduis temporibus, ex ipsis secundum regulam sancti Benedicti abbatem eligere; sed et de rebus ipsius ecclesie vel pretiosi martyris supradicti Benigni, propter eleemosynam prescripti piissimi Karoli regis, et propter nostri corporis sepulturam seu etiam, ut supra insertum est, pro statu regni et etiam stabilitate sua et excellencia, necnon et nostrorum abolicione peccatorum; per consilium archiepiscopi nostri Remigii, et Hincmari, atque Theoderici, consencientibus etiam coepiscopis nostris, necnon omni clero sive omnibus fidelibus ecclesie nostre, res et mancipia ad ipsum monasterium restaurandum et in usus ac stipendia monachorum ibidem Deo famulantium, id est, in eodem pago Divionensi, et in suburbio Divionensi castri, terram indomincatam ubi seminantur modia CCL; vineas ubi colliguntur modia vini D; prata ubi secantur foeni carra L; silvam ubi saginantur porci DC; forestem piscium a ponte Divionis usque ad villam Floriacum; farinarios sex; colonicas X; mercatum pariter et burgum simul et districtum; et in Lariaco colonicas X; in Biciaco vero colonicas VI et dimidiam; et in villa quam Colonicas dicunt, colonicas VI et semis; in Siliniaco, colonicam I; in Dicmensi, colonicam et semis; in Scontio quoque colonicas VI; et in Villari colonicas III, farinarios II; in Lentennaco, colonicam I et semis; in Girone, colonicas II; inter Corcellas et Flaviniacum, colonicam I; in Proviso, colonicam semis; in Camboio, colonicam semis; inter Marcenniaco et Patrimiacum, colonicam I; in Quintiniaco, colonicas II; in Saccunico, colonicam I; in Cromaro, colonicas II; in Aculiaco, capellam habentem mansum I et semis; in Rufiaco, colonicam semis et medietatem de Scoriaco villa; in Casnedo, colonicam semis; in Bargis colonicam I; in Missiniaco, colonicas III; in Norgia, colonicam

I; item in aliis Corcellis, colonicam semis; in Aziriaco, quicquid sanctus Benignus habere videtur, scilicet capellam cum colonica una, et aliis colonicis VI et semis, et farinario uno, et terra indominicata ubi possunt seminari de frumenti modii C, et prata ubi possunt colligi foeni carra CL; in villa Charli, mansum indominicatum, cum capella, et quicquid ibi videtur aspicere; in Prunedo, mansum indominicatum et quicquid ad ipsum mansum attinet, cum omnibus appendiciis, rebus et mancipiis suis; in Jussiaco, colonicas II ; in Escanniaco, similiter colonicas duas; in Campaniaco, colonicam I; in Ategiis, colonicas duas. Has igitur supradictas res servis Dei monachis in supradicto loco Domino servientibus et futuris temporibus permanentibus, et pro piissimo rege ejusque conjuge necnon liberis et totius regni ejus stabilitate, Dei misericordiam implorantibus, in sempiternum possessuris concedimus. Quapropter petimus atque rogamus ut sicut nos predecessorum nostrorum inviolata custodimus, sic et ipsi ea que constituimus inviolabiliter conservare dignentur. Si quis vero, quod venturum minime speramus, hanc largicionem domni et excellentissimi regis, necnon et nostram institutionem immutare, aut aliquid ab eodem monasterio auferre aut contradicere electioni fratrum ibidem Deo famulancium, sicut supra dictum est, aut de rebus prescriptis beneficiare alicui, vel eciam familiam affligere, seu eidem congregacioni aliquam vim inferre presumpserit, eterne damnationis maledictione cum Juda traditore multatus, et nostra nostrorumque coepiscoporum auctoritate excommunicatur, insuper anathema *Maran atha* sit damnatus; sancti Benigni eciam cui prejudicium inferre videtur noverit se ultione damnandum. Et ut hoc privilegium nostre constitutionis firmum et stabile per succedentia tempora permaneat, manu propria subterfirmavimus, et coepiscopos nostros ac tocius regni regis nostri subscribere petivimus, atque ecclesie nostre filiis et fidelibus clericis et laicis roborare jussimus. Ego Isaac sancte Lingonensis ecclesie indignus episcopus hanc constitutionem a me factam relegi et subscripsi

Hincmarus archiepiscopus subscripsi

Theodericus archiepiscopus subscripsi

Girbaldus Cavilonensis episcopus subscripsi

Bernarius humilis episcopus subscripsi

Letannus humilis episcopus subscripsi

Adalgarius Eduorum episcopus subscripsi

Ratbertus episcopus subscripsi

Lantbertus Matisconensis episcopus subscripsi

Leobinus humilis chorepiscopus subscripsi

Geylo sancte Lingonensis ecclesie humilis episcopus hoc decretum relegi, consensi et Christi nomine roboravi

Warnerius sancte Lingonensis episcopus relegi et firmavi

Argrimus sancte Lingonensis exiguus episcopus hanc institutionem relegi et in Christi nomine roboravi

Giruncus sancte Bituricensis ecclesie humilis archiepiscopus subscripsi

Tedelgrimnus episcopus subscripsi

Gosselinus humilis episcopus subscripsi

Heyricus humilis episcopus subscripsi

Achardus humilis episcopus subscripsi

Alguala Lugdunensis ecclesie archiepiscopus subscripsi

Ardradus humilis Cabilonensis ecclesie episcopus subscripsi

Geraldus peccator et humilis episcopus subscripsi

Gualo Augustudunensis ecclesie episcopus subscripsi

Ego Bruno sancte Lingonensis ecclesie episcopus relegi hoc decretum et subscripsi et roboravi

Ego Lambertus Lingonensis ecclesie episcopus relegi et firmavi

Himbertus Parisiacensis ecclesie episcopus subscripsi

Helias diaconus scripsit et subscripsit.

Data die dominica, indictione V mense maio, anno XXXII regnante Karolo glorioso rege.